

incrementa & decrementa admittit. Imò aliquando luteus hic color, nonnunquam *rutilus* in conspectum venit. Idem sentit similemque in modum contra vulgus Philosophorum distinguit *Tandlerus Disput. 5. Meteorol. probl. 2.* Ubi hoc etiam addimus, secundùm hoc primum suum lumen *Auroram* meteorum, & quidem emphaticum esse, siquidem, non minùs ac alia phasmata, ob refractionem radiorum solarium hanc figuram refert. Sed quia non lumen in vapore refractum ibique retentum, sed inde per Horizontem nostrum reflexum diffusumque pro *Aurora* propriè habendum est, idque purum lumen esse conspicitur, cujus intuitu forsitan non *roseos* sed *albos* equos *Auroræ Theocritus* attribuit in *Hyla*; ideò *Aurora* inter Meteora recenseri non debet.

SCHEMA IV.

Auroræ lux dubia est.

Ἐξελίγμ.Θ

I.

Συλλήβδην.

§.1. *Cur Græcis dicta ἀμφιλύκη.* §.2. *Lucis remissio partim à Sole, partim ab exhalatione.* §.3. *Remissio illa in luce ipsa, non in tenebris. Tenebrarum natura privativa contra Kyperum & Paracelsum probata. Paracelsi refutatio, tentata à Wendelino, ipsa refutata.* §.4. *Remissio illa an in luce, ut substantia, an ut qualitate, b. l. perindè est. Utriusque sententiæ Autores & hujus loci argumenta recensentur.*

II.

Ἐπιπλεον.

§.I. Eleganter Græci ob hanc rationem eam ἀμφιλύκην vocant. Ita *Apollon. Arg. 2. Oppian. de Venat. lib. 3.* dixit πρώτη ὑπὸ ἀμφιλύκην sub primum crepusculum, quod tenebræ tunc fiat similes *λυκῆς*, id est, pelli lupinæ, quæ est cineritii coloris, non omninò nigra. Hinc scitè *Laurembergio Tractatio de Crepusculis* in titulo *Amphilycus* dicta

cta